

§. 3. Christus itaque plenus, perfectus & unicus noster Redemptor est. Is enim omnia præstitit, quæ ad nostri Redemptionem pertinent; peccata nostra sustulit & in se transtulit Es. LIII. 4. 1. Petr. II. 24. iram DEI sedavit Rom. V. 8. 9. 1. Thess. I. 10. maledictionem legis abolevit h. l. Satanæ regnum destruxit 1. Joh. III. 8. Hebr. II. 14. ab inferno & morte æternâ nos liberavit Os. XIII. 14. 1. Cor. XV. 55. DEO nos reconciliavit Rom. III. 25. c. V. 10. 2. Cor. V. 18. 19. Eph. II. 16. Col. I. 20. 22. perfectam justitiam nobis acquisivit Dan. IX. 24. & vitam æternam reparavit Hebr. V. 8. 9. Joh. III. 14. 15. &c. Unde & dicitur nobis factus à DEO sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio 1. Cor. I. 30. *Is non per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem intravit semel,* (omnino, non semel in anno ut summus sacerdos legalis Levit. XVI.) *in sancta* (non manufacta, sed cœlestia) *ἀιωνία λύτρωσις* æternam redemptionem (absolute, adeoque tam à parte ante, quam à parte post æstimatam & æstimandam. Redemptio enim à Christo præstita æterna dicitur ratione æstimationis moralis, quia ab æterno & in æternum à DEO Patre pretiosè habita fuit, tum etiam quia in æternum manet, ab æternâ morte nos liberat & æternam hæreditatem nobis acquirit.) *inveniens* Hebr. IX, 12. *cum judiciali convictione* Gal. II, 17. 2. Cor. V. 3. Actor. XIII. 28. cap. XXIII, 9. (talis enim est hæc *λύτρωσις*, quæ in rigoroso divino judicio evicta est & comprobata) *tum laboriosâ & operosâ consecutione* *ἐνενησις* Christi, qua obtinuit nobis vitam æternam, operosa & laboriosa fuit. Continet enim in se *τὰς ὀδύνας τῶ θανάτου*, dolores mortis, Actor. II, 24. portationem *maledictionis Legis* Gal. III, 13 facta est *per preces & supplicationes cum clamore magno & lacrimis*, Ebr. V. 7. Unde conqueritur Christus, *se servitute pressum & fatigatum esse propter peccata & iniquitates* Es. XLIII. II. *quas portavit in corpore suo super lignum* 1. Petr. II 24. ut benè docet B. Dorscheus in Comment. MSto Epist. ad Hebr. ad loc. cit.

§. 4. II. REDEMPTI sunt omnes & singuli homines in
Ada-